

Qui fit, Maecenas, ut nemo, quam sibi sortem
 seu ratio dederit seu fors obiecerit, illa
 contentus vivat, laudet diversa sequentes?

‘o fortunati mercatores!’ gravis annis
 miles ait, multo iam fractus membra labore. 5
 contra mercator, navem iactantibus Austris,
 ‘militia est potior. quid enim? concurritur: horae
 momento cita mors venit aut victoria laeta.’
 agricolam laudat iuris legumque peritus,
 sub galli cantum consultor ubi ostia pulsat. 10
 ille datis vadibus qui rure extractus in urbem est,
 solos felices viventes clamat in urbe.
 cetera de genere hoc, adeo sunt multa, loquacem
 delassare valent Fabium. ne te morer, audi,
 quo rem deducam. si quis deus ‘en ego’ dicat 15
 ‘iam faciam, quod vultis: eris tu, qui modo miles,
 mercator; tu, consultus modo, rusticus: hinc vos,
 vos hinc mutatis discedite partibus. eia!
 quid statis?’ — nolint. atqui licet esse beatis.
 quid causae est, merito quin illis Iuppiter ambas 20